

Johann Diecmann


**De Primis Et Antiquissimis Johannaë Papissæ Præconibus Schedion  
Historicum : Quo Et Literarum Patronos, Et Literatos Omnes, Ad Actum  
Oratorium, De Eruditione Feminarum Die XIX. Septembr. H. L. Q. C. Habendum :  
[P. P. Dom. XVI. Post Fest. Trinit. A. O. R. MDCLXXIIX.]**

Stadae: Holweinianis, [1678?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870368907>

Druck Freier  Zugang






24 p  
 99  
 Pr. 52 p  
 Pr. 32 p  
 45 p  
 42 p  
 44 p  
 22 p  
 31 p  
 A-B  
 16 p  
 17 p  
 74 p  
 Pr. 56 p  
 58 p  
 44 p  
 A-C  
 35 p  
 28 p  
 40 p  
 20 p  
 32 p  
 48 p  
 80 p  
 25 p  
 24 p

a. b  
 a-E  
 a-C  
 36 p  
 20 p  
 24 p  
 A-C  
 44 p

Fa-1092 (99)



57. 5.


Contenta:

1. J. Fr. Mayer, de Electione pontificis,
2. Vaticinia curiosa de Pontificibus Rom.
3. Th. Crüger, de Successione continua pontificum Rom. secundum vaticinia Matathiae Episcopi Armaghani,
4. C. M. Pfaffius, de Successione episcopali qua in tota Rom. ecclesia dudum defecit.
5. J. C. Wagenheil, de Romanis pontificibus,
6. J. A. Hartmann, Vita Innocentii III. Pont. R.
7. G. Remus, Commentum putidum, calcasse collum Imp. Friedericil. Anobisba Alexandrum III. Pont. R.
8. Missiva principum apostolorum Petri et Pauli ablegata Romam ad Paulum V. Pont.
9. J. F. Mayer, de Titulo Pontificis, Servi servorum,
10. C. Röhrensee, Ratio Status curiae Rom. circa quaedam religionis sua capita,
11. B. Biberstein, de Pravaricationibus Pontificum Rom. in Principes Imp.
12. J. D. Kiesling, de Artibus episcopi Rom. in stabilienda monarchia,

13. B. Goth. Aruvius, Vindicia Juris Imperatorii adversus urbis Romae Episcopos ab ipsis Augustis facta,
14. Jo. Z. Hartmann, de Jure Imperatoris circa canonizationem Hildebrandinam,
15. J. W. Jegeri Defensio Imp. Josephi contra Rom. ecclesia bullas,
16. C. Kortholt, Apotheosis Papae,
17. C. S. Ziegler, de Monasteriis Pontificiorum ab oneribus temporis belli Turcici non peritus exentis
18. J. Fr. Mayer, de Cardinali Decano,
19. G. H. Goetze, de Benedictione Papae
20. Ejusd. de censuris pontificiorum venenatis
21. Ej. de Insidiis pontificiorum juventuti scholasticae strui solitis
22. J. D. Koeler, de Donatione Mathildina Pontifici Rom. facta,
23. J. F. Joachim, de spurio Mathildino dono
24. C. H. Feibich, de Pallio Mariae tutelari
25. P. C. Mitternacht, Maria Gumboldt-pignus
26. Jo. A. Gleich, vom Großen Griefpfeil,

27. Bella elementi gemini pugna divo Jo-  
anni Nepomuceno martyri an a  
flumine, an a lumine, quo coelitus  
deciduo coronatus gloriosiori affe-  
ctuose devota, decisa.
28. Z. Grapius, de Rosa aurea à Papa Rom.  
quotannis solemniter consecrata,
29. J. G. Neumann, de Missionarius pon-  
tificum,
30. J. C. Danthauer, de Festo corporis  
Christi,
31. D. Gvil. Motter, de Malleolo Jobeleis
32. Jo. Dieckmann, de Primis et antiquis-  
simis Joannis Papisæ præconi-  
bus,
33. C. C. Handel, de Johanne VIII. Pont.  
qui foemina fuit sexum mentita,
34. C. A. Heumann, de Origine vera tradi-  
tionis falsæ de Joanna Papisæ,





IX. 32.

DE  
PRIMIS ET ANTIQUISSIMIS  
JOHANNÆ PAPISSÆ  
PRÆCONIBUS  
CÆCILIATION HISTORICUM,  
QUO  
ET  
LITERARUM PATRONOS,  
ET  
LITERATOS OMNES,  
AD  
ACTUM ORATORIUM,  
DE  
ERUDITIONE FEMINARUM

DIE XIX. SEPTEMBR.

H. L. Q. C.

HABENDUM,

INVITAT


M. JOHANNES DIECMANNUS,  
STADENSIS, LYCEI PATRII RECTOR.

---

STADÆ,

Typis Holyveinianis.

30



Distam dudum famæ claritudinem su-  
um nomen femineus sexus evexit, ut, quic-  
quid in viris præcipuum ac singulare cense-  
ri vulgo solet, hoc omne ab eo felicissimâ ad  
invidiam æmulatione non rarò expressum  
esse ultro fatendum sit. Vel unum literarum à muliebribus  
ingeniis haud perfunctoriè tractatum studium nimia præter  
verum exaggerationis crimine me abundè absolvet scio: Quod  
tantum feminis decus ac splendorem attulit, ut nec præstantes  
quosq; viros (1) in earum laudes ac elogia laxare stylum pani-  
tuerit, nec ejus ad hunc diem exercendi materia eos deficiat.

Inter

---

(1) Nam Franciscus de Grenailles *Bibliothecam mulierum Gallicè*, A. 1640. 4.  
Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Episcopus Salutiensis in *Sub Alpina Theatrum  
mulierum eruditæ Italicè* in 8. A. 1620. in monte Regali, Hilarius de Costa, Ord.  
Minimor. Parisiis A. 1630. in 4. *Elogia Reginarum feminarumq; principum ac  
nobilium, illustrium virtute ac eruditione*, ediderunt. Quos auctores indicio Phil.  
Labbei in *Bibliotheca Bibliothecarum* A. 1672. Rotomagi impressa, acceptos fero  
qui idem inter insignes bibliothecas, quas Ludov. Jacobum à S. Carolo summo stu-  
dio & incomparabili diligentia affectas & tantum non prælo paratas habere p. 149.  
refert, locum quintum *Bibliothecæ feminarum scriptis insignium* concedit, quæ non  
nova & nondum visa, sed renovata tantum hujus operis editio forte fuerit; nam Lu-  
dovicum Jac. à S. Carolo tale quid viginti & amplius ab hinc annis antequàm Lab-  
beus ista scriberet, emisisse, vel ex *Opusc. Schurmann*. p. 346. ss. constat. Qui-  
bus ex *Hallerivordii Biblioth. curios.* p. 164, 193 & 195. Boccacii, Peressii Piniq;  
antiquiora de *claris feminis* scripta jungas licet. Adi & doctarum feminarum exem-  
pla, memorata Tiraquello in *leg. Connub. XI.* à p. 198. ad 208. Vossio l. de *Philo-  
log.* C. 2. p. 8. ss. Engelgravio *Cal. Empr.* Part. 2. p. 370. ss. Lotichio *Gynæ-  
colog.* §. 36. p. 124. ss. Johanni Sauerbrey in *duplici Diatribe Academica de  
feminarum eruditione* Lipsiæ A. 1671, in lucem emissa, thes. I, §. 47. ss. thes. II.

S. 5.

Intèr omnes tamen, quæ aliquam in literis famam unquam consecutæ sunt, feminas, nescio an clarior ulkæ ac illustrior JOHANNA quam vocant PAPISSA extiterit. Hæc enim non ipsa tantum Latinis Græcisq; literis egregiam operam navasse, magnos magistros Romæ auditores habuisse, scriptis etiam sacris partim, partim magicis inclaruisse, sed &, ut Trithemii (2) verba mea faciam, *doctrinâ suâ Papatum meruisse*, atq; adeo longè amplissimum præ omnibus literarum cultricius eruditionis suæ præmium retulisse traditur. Quâ re tantò majorem celebritatem hæc insulata scrofa consecuta est, quantò magis plurimorum scriptorum, aut decantatam ejus in cathedra Romana sedem subruere & evertere gestientium, aut omni eam opere nisug; restituentium ac firmantium, calamos fatigavit, nec adhuc securum iis otium fecit. Nam profectò nimis judicii sui Baronius (3) atq; Naudæus (4) falsi sunt, cum omnem hanc litem à Florimundo Ramundo suo (5) sic perorata esse superbè crepant, ut nemo contrà hiscere posthac audeat. Aliud in historia literaria vel mediocriter versato constat, Ego tamen nunc post tot Roscios in scenam prodire, & immani testium, controversæ Johannæ historiam ex medio Papatu stabilientiū, cumulo lectores obruere nolim, quem qui quærat, satis amplum (6) inveniet. Ut nos *magis copiâ quàm inopiâ laborare* Gisberto Voetio

---

S. 5, 6. thes. V. §. 19. ubi catalogum feminarum eruditarum, superius à se non laudatarum exhibet. Omnium operum à literatis feminis hucusq; publicatorū quadringenta esse, novissimè ad mentionem doctissimæ doctissimi Tanaquilli Fabri filiz, (Madamoiselle le Fevre dictæ) Callimachi Cyrenæ; *σολομνα* cum notis profundæ eruditionis plenis edentis, in *Journal des Scavans* Anno 1675. Tom. 1. p. 97. relatam est. (2) *l. de script. Eccles.* fol. 89. ed. Paris. 1512. (3) Tom. X. A. DCCCLIII. n. 62. p. 127. (4) *Apologie pour tous les grandes personnages, qui ont esté faussement soupçonnez de Magie* Chap. 19. p. 548. (5) in *Fabula Johannæ Gallicæ & Latinæ*, superiori & hoc seculo edita. (6) Præter eos, ad quos nos Celeberrimus

Voetio (7) videamur, adeoq; Iliada post Homerum, aut Homerica paralipomena post Cointum Smyrnæum scribere instituat, quisquis constipare porro & in unam congeriem Johanna nostræ præconum testimonia coacervare velit. Quanquam liberandæ suæ fidei gratia non immeritò Protestantes eò se recipiant, ut impudens quorundam morosorum ex Papatu veteratorum, Baronii puta, Serarii, ac aliorum, in Novatores, quales illis audire solemus, super hac caussa ferociter debacchantium, omnemq; in eos culpam rejicientium, os retundant, ac sinistram à se sublestæ fidei suspensionem seriâ ad eos, qui ante auditum in orbe Lutheri nomen Johanna nobis historiam præiverunt, provocatione amoliantur. Istud potius operæ non contemnendum pretium esse reor, ut in primos maximè, qui in acie hucusq; locari soliti sunt, istius narrationis auctores accuratiori indagine inquiramus, & sepositâ tantisper tot recentiorum testimonium

---

mus πολυγράφος Joh. Cunr. Dietrichius, vir de meis in AlmaGießena studiis præclarissimè meritis, ὁ ὄντων μακαρίων, Breviar. Pontif. Roman. p. 154, 155. amandat, consule Dannhavver. AntiChristosoph. p. 904. fs. Dorsche. Part. II. Vindic. Exod. Dissert. 5. p. 80. fs. Jac. Capell. l. 2. de sed. Rom. sanct. C. 3. p. 248, 249. Morton. Apolog. Cathol. Part. I. p. 47, 48. Voct. Desper. caus. Papat. l. 3. sect. 2. p. 542. Pertinet huc libellus Anno 1619. 8. Oppenheimii hoc titulo, *Johanna Papissa toti orbi manifestata*, excusus, qui an auctorem Levinum Hulfium, cujus Oppenh. in 8. de Johanna Papissa impressus tractatus in *Facet. Facetiar. p. 162. ed. A. 1657.* laudatur, habeat nec ne, dicere non possum. Helmstadii quoq; A. 1662. in 4. ejusdem argumenti scriptum anonymi prodit. Omnium verò diligentiam centum & triginta quinque testimoniorum collectione, quod Maresius Jo. *Papiss. restit. p. 12.* refert, Egbertus Grim, Anglus, Theol. Licent. in *Commentario Belgico de Jo. Papissa A. 1635. publicato* supergressus est. Quid à Petro Megerlino, Mathem. Basil. JC. & Chronologo celeberrimo, quem veritatem historiæ de Joh. Papissa ex ipsis Chronologiæ principiis confirmatiorem publico promittere nuperrimè Jo. Jac. Hofmannus *Lexic. Universal. Tom. I. p. 841. fin.* intima vit, expectandum sit, dies docebit, (7) *Spicileg. ad Discept. Hister. de Jo. Papissa, Tom. V. Dispp. select. p. 448.*

stium nube, priorum illorum potissimam rationem habeamus. Cùm enim, qui in sequiora tempora incidunt, securè antiquiores non modò exscribere, sed sæpe ex ingenii sui siglina accudere iis non pauca soleant: quis ab hisce turbidis lacunis ad primos, unde illi sua hausert, latices fontesq; cuilibet prope-  
*ἀξιόπιστος* randum, fidemq; in scriptores, quò magis æquales, eò magis resolvendam esse non videt? Sanè si Stratophani Plautino (8) *pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem*, cuilibet cordato unius atq; alterius, qui proximè à re, quam scribit, gestâ abfuit, auctoritas major erit multorum testimoniis, qui eâ aliquot seculis inferiores fuerunt. Quare in præsentia antiquissimos quosq; qui pro Papissa afferri solent, testes revolvam, & quibus illi difficultatibus obnoxii sint, ostendam. Quæ non hoc animo à me dici quisquam existimet, quasi fœdum Romanæ Babylonis prostibulum ab aliqua infamia perpurgatum, ejusq; turpitudinem obvelatam cupiam, cujus, ut maximè absq; hac Papissa fuerit, pudenda Ecclesiæ oculis satis denudata prostabunt; Sed ut in quæstione mera, quam vocant, facti non obvios quosq; scriptores promiscuè arripiendos, verùm magnâ eos cautione accircumspectione tractandos esse appareret. *Sive enim hic vincimus* ( ut iterum hæc à Voetio (9) mutuer ) *sive vincimur, principali causæ de Papali infallibili monarchia & vicariatu Christi nihil decedit aut accedit: Siquidem ex S. Scriptura eam abundè protritâ damus, & in capite seu fonte, hoc est, in Ecclesia ac seculo Apostolicis tot seculorum jactatam successione præscindimus & suffocamus.* Inter omnes itaq; qui pro solidando Papissæ throno laudari solent, primus locus Anastasio Bibliothecario & Abbati Romano, quem ipso illo tempore & anno, quo Papissa sedisse fertur, vixisse, & aliquamdiu post superfuisse constat, à nonnullis recentioribus dari solet. Recentioribus inquam.

A 3

Nam

(8) in Trucul. II. 6. 8. (9) l. 6. p. 447.

Nam paullo superioribus Anastasius, testis invisus penitus & inauditus fuit. Hinc cum Protestantibus Bellarminus (10) aliiq; constans Anastasii de Papissa silentium opponerent, illi istud non abnuebant, nec aliâ hoc ab auctoritate tacentis Anastasii ductum argumentum ratione solvebant, quàm quòd ei in historiis parum tribuendum esset. Vide Gerhardum (11). Nec poterant aliter. Nam ab Anastasio typis descripto (12) Johannæ nostræ mentio exulat. Alii verò, cum Johannam ab Anastasio omitti non potuisse viderent, ad conjecturas delapsi, ejus vitam à Pontificiis ex scripto Anastasio exsculptam & Erasam hariolati sunt (13). Tandem, annotante Blondello (14) *ut nominis, sic meriti longè maximi viri prodierunt*, qui Anastasium inter Papissæ præcones familiam duxisse contenderent. Post quos Maresius (15) confidenter Anastasium primum Papissæ testem appellavit. Hi quod in impressis Anastasii codicibus subsidium defuit, in manuscriptis investigare conantur. Nam aliquot *ἄπογραφα* in Bibliotheca Palatina quondam reperta Papissæ memoriam servabant, qualem sibi codicem Lutetiæ quoq; in Regia Bibliotheca visum Maresius asseverat. Sed nec Blondellus (16) in nonnullis Anastasii exemplaribus manu exaratis tale quid extare diffitetur. Unde multò verisimilius esse Maresio videtur, *Pontificios Joannæ historiam ex Anastasio delevisse, quàm illam primitus ab Anastasio conscriptam non fuisse*. Ad quam Maresii sententiam sine dubio respiciens Jo. Henr. Heideggerus (17) *A nostris*, ait, *liquidò probatum est, historiam illam de Johanna Papissa longè ante Maria-*

---

(10) l. 3. de Rom. Pont. C. 24. Tom. I. Controvers. p. m. 309. a. (11) Tom. V. LL. de Eccles. §. 197. p. 384. & Confess. Cathol. lib. II. art. 3. C. 4. p. 634. b. (12) Moguntia A. 1602. cura Jo. Busæi S. J. (13) V. admodum Rev. & Doct. Du. D. Rud. Capell. Discurs. Histor. de Johanna VIII. Pap. §. 13. p. 9. (14) Anacris. famos. quæst. de Joanna Pap. p. 45. (15) Joannæ Papissæ restituta p. 2, 4, 31, 32. & c. (16) l. c. p. 47, 57. (17) Dissert. 5. de peregrinat. religios. §. 10. p. 193.

*Marianum Scotum proditam esse ab Anastasio Bibliothecario, qui circa tempora Johanna vixit, nec non paulò post à Radulpho Flaviacensi. Conf. Spanhemium filium (18). Sed hæc MSCta omnia movere tamen Blondellum non potuerunt, ut ab Anastasiano calamo hanc de Papissa particulam profectam crederet, quin potius ab infida nescio cujus interpolatoris manu insertam judicaret. Quam  $\chi\rho\iota\sigma\tau\iota\upsilon$  ne quis temerè viro cætera sagacissimo excidisse crederet, integrum istud de Johanna ex Anastasio MSCto Bibliothecæ Regiæ Parisiensis (quod forsân ipsum illud, Maresio aliquando visum, fuit)  $\Sigma\pi\omicron\sigma\pi\alpha\sigma\mu\acute{\alpha}\lambda\iota\omicron\nu$  unâ cum toto contextu orbiliterato exhibendum censuit (19); unde quivis, qui non obesæ nimis naris est, vel Blondellianâ etiam censurâ sepositâ, per se ipse intelliget, quàm ista de Papissa lacinia ab inficeto quodam rhapsodo Anastasianæ purpuræ assuta fuerit. Tuum, Lector, candorem, potuitne is scriptor, quod genuinum tamen Anastasium omnino oportuit, Papissæ  $\sigma\upsilon\gamma\chi\epsilon\omicron\nu$  esse, qui iteratis dictionibus, ut asseritur, ut dicitur, creditur à pluribus, nec ponitur in catalogo Pontificum, ex fama se hanc rem accepisse, & non modò post auctum plurium capitum accessione, sed jam antè ab aliis conscriptum Papparum catalogum, vixisse prodit? Cætera supposititii fœtus indicia à Blondelliana diligentia conquisita taceo. Quid ad hæc Maresius? In multis Anastasium, quod ad Johannam Papissam, malam manum passum esse negare nequit, in omnibus verò passum negat, & ad  $\nu\omicron\sigma\tau\epsilon\lambda\epsilon\omicron\varsigma$  argumenta Blondello notata respondere conatur. Sed conatur tantum. Legat incorrupti judicii Lector, & judicet. Nam Maresiana ad scelon eviscerare, & quàm hic eum, Papissam restituere laborantem, successus destituat ostendere, harum chartarum angustia non permittit. An plures fortè MSCtos codices Maresius vidit, ex quibus vera Anastasii de Papissa dicta ab irreptitiis discernere*

(18) *Introduç. ad histor. & antiq. sac. p. 573.* (19) *V. Blondell. p. 49. f.*



scernere disceret? Utinam verò, utinam cætera quoq; Anastasii MSCta, illa maximè, quæ ex incomparabili Palatina bibliotheca Leo Allatius in Vaticanam avexit, inspicere liceret! longè maximam certè lucem in hac nobis controversia affulsuram sperarem. Nam non in omnibus MSCtis, etiam vetustioribus Papissa legitur. Cujusmodi exemplar in Thuana Bibliotheca Blondello (20) oblatum est. Saltem illi, quibus recentior Anastasii editio (21) ad manus est, certiora nos hac de re docere poterunt. Mihi enim præter operis titulum nihil innotuit. Sed nec Blondello, nec Maresio novus hic Anastasius, quia neuter illius unquam meminit, visus est. Interim in tanta MSCtorum varietate sine *ἀπολογία* & accurata contentione *ἀναμείβεσθαι* Anastasii à *καθ' ἑλπίδας* vix quisquã probè dignoscet. Accedit quòd nec istud certò constet, an ultra Leonis IV, qui Papissam proximè præcessit, vitam Anastasius historiam texendo progressus unquam fuerit; cùm pleraq; Anastasii MSCta à fine mutila sint, & in Leonis IV. elogium desinant. Quod dubium cùm plus simplici vice Maresius moveat, aliqua tantùm ejus verba (22) describam: *Incertum est, an Anastasius libri Pontificalis continuator, ultra Leonis obitum opus suum pertexuerit, & quàm facillè dicitur ab Onuphrio, Bellarmino & Blondello, in Nicolao desuisse Anastasium, tam facillè quis dixerit, eum in Leone substituisse.* Sic Maresius de Papissæ historia, quæ utiq; post Leonis IV. vitam in Anastasio legitur, an huic auctori tribuenda sit, hæsitans, se ipse hòc tanto teste, in quo aliàs maximopere tripudiat, exuit, aut eum minimum suspectum reddit. Quid, quòd idem (23) nondum certò secum

(20) V. eum *Anacrisif.* p. 46. (21) Paris. è typographia Regia in folio A. 1649. curata, cui varix lectiones partim ex Codd. MSS. Biblioth. Vaticanæ, partim ex Conciliorum Tomis, & Annal. Eccles. Cæs. Baronii Card. excerptæ accesserunt: item varix lectiones ex tribus codicibus MSS. collectæ, & index Glossarum Anastasii, operâ Caroli Hannibalidis Fabrœci J.C. (22) Jo. Pap. *restit.* p. 151. (23) l. c. p. 29

secum statuere possit, an vitæ Pontificum, quæ hodie sub Anastasii nomine leguntur, illi dandæ sint, quem Papissæ æqualem fuisse diximus, an cuius alteri? cùm prior iste vir disertissimus, ac Græco & Latino peritus eloquio audiat, agrestis autem & rudis editi Anastasii stylus potius barbarum hominem arguat, & vix semidoctum. Quanquam planè sine avibus hic Maresius augeretur, qui Anastasium, pro istius inclinantis ævi ratione, sic satis eloquentem fuisse cogitare debebat. Unde nec fervidam Richardi Montacutii (24) bilem probo, quam, cùm hoc opus Anastasianum *cacata charta bardum ridiculum* vocavit, evomuit. Quæ cæterùm de Anastasii Pontificali disputare eruditi (25) solent, sitne ab eo primùm scriptum, an aliquot antè seculis à Damaso Papa inceptum, ab Anastasio verò tantùm auctum & interpolatum, quia à præsentis questione aliena sunt, lubens prætereo. Ex dictis autem abundè rationem constare puto, quare ab Anastasio Papissæ præconibus annumerando adhuc abstinendum sit, cujus alioqui testimonium, si indubitatum esset, ceu omni exceptione majus, nequicquam Anastasii in hoc libro auctoritatem elevante personato Petro Aurelio (26), adversariis opponere liceret. Exauctorato sic Anastasio, sunt qui ad Radulphum Flaviacensem confugiant. *Omnium*, inquit Anonymus, (27) *qui quidem à nostri seculi hominibus lecti sunt, ut opinor, vetustissimus hujus muliebris Pontificatus scriptor allegatur in centuriis Ecclesiasticae historiae Radulphus Flaviacensis Monachus Benedicti-*

B

nedicti-

---

(24) Notar. ad Epist. Photii 170. p. 244. (25) V. Dorsche. de tunica Christi inconsutili C. 2. §. 50. & 118. Rainold. Censur. libr. apocryph. V. T. præf. 180. Tom. II. p. 817. fs. Blondell. Pseudoisidor. & Turrian. Vapul. prolegom. C. 12. p. 61. & præf. Apol. pro sent. Hieron. de Episc. & Presb. p. 26, 27. Voss. de Histor. Lat. p. 200. & 319. Dallæ. l. 3. de imagin. C. 3. p. 273. & l. 2. de Confirm. C. 20. p. 239. Labbe. de script. Eccles. Tom. I. p. 252. (26) Vindiciar. p. 41. 42. & Orthodox. p. 543. (27) de historia Joh. VIII. Rom. Pont. ed. Helmst. 1662. p. 11.

nedictinus, quem & Trithemius *Chronicon breve*, quod illi *polychronicon* nominant, scripsisse ait, referens ejus aetatem in annum Domini 930. Mibi ejus legendi copia nondum est data. Quibus equidem verbis non tantum vetustiore Radulpho Flaviacensi auctorem afferri solere frustra negatur, cum Anastasius jamjam excusus procul dubio vetustior sit, sed & immerito ad Centurias Hist. Eccl. provocatur, quæ nullum unquam Radulphum Flaviacensem in muliebris Papatûs auctoribus recensent. Ranulphum, fateor, in *Polychron. l. 5. C. 32.* istarum Centuriarum auctores (28) hac in causa laudant; sed Radulphum Flaviacensem cum Ranulpho ab Hygeden Cestrensi, Polychronici auctore, vir doctus confudit, qui aliquot seculorum intervallo abinvicem distant. Nam posterior (de priori mox dicemus) demum seculo decimo quarto claruit, ejusq; anno tertio supra sexagesimum, quod Vossius (29) atq; Blondellus (30) annotant, defunctus est. Et tamen in hoc idem *παρόρμα* doctissimus quoq; collectaneorum in eandem materiam auctor (31) incidit, dum Ranolpho Flaviacensi, seculo X florenti, qualem nullæ nobis historiæ memorant, Polychronicon Ranulphi Hygdæni, quatuor seculis posterioris, adjudicat. Ranulpho igitur Hygdæno polychronici compilatore (cui inter Papissæ testes suum quidem, sed non primum, quo de nunc disceptamus, locum concedimus) misso, ad Radulphum Flaviacensem revertimur. Hunc omnium primum, quem pro Johanna afferret, Wolfius (32) habuit, quippe qui non multo post Johannæ tempora, seculi nempe decimi anno tricesimo, claruerit. Imò in A. C. DCCCCX. eum Bellarminus (33), Cornelius à Lapide (34) Vossius (35) aliiq; plures rejiciunt. Sed illum plusquam duobus integris seculis recen-

(28) *Centur. IX. C. 7. col. 333 init. & C. 10. col. 502.* (29) *de Hist. Lat. l. 3. C. 2. p. 532.* (30) *Anacris. quæst. de Jo. Pap. p. 4.* (31) modò laudato Anonymo annexus p. 33. (32) *Lect. memorab. Tom. 1. p. 225.* (33) *de Script. Eccl. p. 198.* (34) *in Penit. at. eub. p. m. 613. b.* (35) *de Hist. Lat. l. 2. C. 39. p. 339.*

tiorem esse, primus Blondellus (36) ex inedito Alberici Chronico observavit. Non ignoro, quàm hîc Maresius (37), ut creditæ antiquitati Radulphum Flaviacensem reddat, tumultuetur. Sed frustra est. Quæ viros doctos ad Radulphum seculo X. inferendum impulerint, duo potissimum invenio, quorum alterum est Trithemii auctoritas, alterum levissima ex quibusdam Radulphi verbis orta suspicio. Et nudum quidem Trithemii à probationibus destitutum testimonium non est quod hîc quicquam moremur, quod perquàm exigui esse ponderis, vel grandior iste, & in ipsa hac materia commissus lapsus docet, cum *Rosvidam nobilem mulierem in Saxonia, Græcæ & Latinæ linguæ cognitionem habentem, coætaneam fuisse Johannis Anglici. e. Johanne Papissæ scribit* (38). Quod etsi securè quidem Wolfius (39) quoq; secutus sit, non sine insigni tamen parachronismo dici posse, vel solus hujus Rosvidæ *de gestis Othonum panegyricus, heroico carmine conscriptus, sexius, ævi & patriæ intuitu*, Mallinckrotio (40) iudice, non contemnendus, sole meridiano clariùs ostendit. Nam qui illi Papissæ tempore Othones Imperatores fuerunt? Et tamen, qui hunc de Othonibus Rosvithæ panegyricum inter opera ejus recensuerat, Wolfius, eam imperante Lothario IV. A. DCCCLV. vixisse, sui immemor, refert. Nisi fortè, cum Poetria hæc virgo esset, simul prophetissa fuerit, & res ab Othonibus toto ferè seculo post gerendas fatidico spiritu prænunciaverit. Poetis enim cum Prophetis multa sunt communia, ut elegantis vir ingenii Antonius Borremansius (41) planè nuper docuit. Sic in re tam manifesta impingenti Trithemio quis tutò in obscuriori, Radulphi inquam Flaviacensis ætate, fidem adjungat? Sed &, qui ex ipsius Radulphi verbis nos de

B 2

ejus

---

(36) *Anacris.* p. 3. (37) *Jo. Páp. restit.* p. 5. (38) loco suprâ n. 2. laudato. (39) *l. c.* p. 239. (40) *de Archicancellar.* p. 29. (41) in *Dialogo literario de Poetis & Prophetis*, hoc ipso anno primum edito p. 79. ss.

ejus ætate certos reddere laborant, ut cum Poeta loquar;  
Longius à veri lapsi ratione videntur.

Maresius quidem ad Genebrardum nos ablegat, qui Chronol. suæ l. 4. asserat, ex Radulphi ipsius testimonio l. 20. Comm. in Levit. C. 1. constare, quod decimo seculo floruerit. Mirum, quòd in *ἀποστολικῶν* verborum Radulphi, si illa unquam inspexit, Lectores suos Maresius non deduxerit. Mihi ex accurata Radulphiani loci, Genebrardo notati, relectione, non alia, quæ huc trahi possint, quàm hæc, (42) ad explicationem Levit. XXVI. 31. allata, occurrerunt: *Manifestè hic prænunciatur, quod jam per mille annos videmus impletum. Postquam à Romanis subversa sunt urbes eorum (Judæorum) sanctuaria eorum deserta permanserunt. Quorum ipsorum verborum argumento Centuriatores (43) quoq; motos esse deinceps deprehendi, ut seculo decimo Radulphum assignarent. Scilicet exinde, quòd jam per mille annos Judæam suâ ætate devastatam fuisse Radulphus ait, decimo eum seculo alligant. Quam rectè, libera mens arbitretur. Nihil enim hic Radulphus dixit, quod seculi XII. scriptore indecens esse queat. Deme quæso LXX. istos, qui à Christo nato ad urbis Hierosol. excidium elapsi sunt, annos ævo Radulphi, quo eum floruisse Alberico credimus, & illum millesimo circiter ac octogesimo à *πανολυθηρία* Judaica anno vixisse, adeoq; verissimè jam per mille annos eversum Judæam dixisse videbis. Quod an æquè commodè in illum, quem Maresius ipsam Joannam videre potuisse, & sic vix octingentis annis Judaicâ clade inferiorem fuisse agnoscit, quadret, omnes cordati judicent. Verùm quid in investiganda Radulphi ætate tam flexis ambagibus uti juvat, quando rectâ ad eam viâ nos Albericus ducit? Eum enim in Chronico (quod Blondello quoq; visum fuisse ex antè dictis constat) Radulphi*

(42) Tomo X. Biblioth. Patr. p. 208, F. edit. Colon. A. 1618. (43) Centur. X. Cap. 10. col. 655.

dulphi ætatem florentem anno Christi cloclvii, attribuere, luculenter Philippus Labbe (44) probat, & crassam Mareffii *æxi-  
otay*, Radulphum Alberico memoratum cum altero Radulpho de Rivo, Decano Tungrensi, miscntis, solidè confutat. Cùm enim Albericus circa A. cloccxli, Tungrensis autem Decanus adhuc A. clocccciii. vixerit, nemo sanus hunc ab illo intelligi potuisse dicet. Neq; est, quòd Clar. Vossii (45) auctoritas quenquam seducat, qui Alberici Chronicon in A. C. loxxxvi. definire scribit; unde frustrà in eo Radulphi Flaviacensis memoriam quæri consequitur. Nam, ut Neo-Ariani quidem, sed harum rerum callentissimi Christoph. Sandii (46) verba Vossio repenam, *hic scriptor (Albericus) non tantum ad A. 626. sed ad A. 1241. quo ipse florebat, Chronicon suum perduxit: quod manifestum adeò est, ut nullà probatione opus sit.* Cùm itaq; ex Alberico veram nobis Radulphi Flav. ætatem post Blondellum Labbeus restituerit, lolio eum vivere necesse est, quisquis errori populari adhuc pertinax inhærere maluerit. Unde laudandus ex nostris Olearii (47), ex Reformatis Hofmanni (48) candor est, quòd inventis frugibus usi, Radulphum non decimo, sed duodecimo seculo cum Alberico dederint. Ita multum antiquitati testimonii, quod ex Radulpho pro Papißa nonnulli petunt, decedere, cuivis apparet. Quanquam ne verba quidem Radulphi, licèt anxie desiderata, hucusq; legere mihi contigerit. Nam Wolfius nec ipsa, nec locum, quo quærenda sunt, nobis indicavit. Et jam ante XX. annos suum de Radulpho iudicium, ea ipsa de causa suspendere Vir CL. (49) voluit. Quin nec Mareffio, quoad

B 3

ex

---

(44) Tom. II. de Script. Eccles. p. 274. (45) l. 2. de H. L. C. 46. p. 381<sup>o</sup>  
 (46) Not. & Animadv. in Voss. anno super. edit. p. 94. (47) Abac. Patrolog. p.  
 396. (48) Lexic. Universal. Tom. II. p. 244. b. (49) Dn. D. Capell. Disc.  
 Histor. de Joh. Pap. §. 49. p. 35.

ex ejus silentio conjectare licet, de eo quicquam constitisse videtur. Quod verò huc quoq; Wolfius hæc nostri, ut vocare amat, Rudolphi Flav. ex l. 18. in Levit. C. I. *Antichristus de Regibus triumphabit, hoc est, pedibus suis subjiciet eos*, retulit, eaq; ad Ludovicum II. Imper. & Edelvvolfum Anglorum Regem à Johanna Papissa coronatos applicavit, valde vereor, ne diffusissimæ lectionis vir hæc & historia & Radulpho repugnante scripserit. Nam Ludovico II, Imp. *Sergius Pontifex*, quæ Adonis Viennensis (50) verba sunt, *coronam imposuit, & acclamante universo populo Imperator & Augustus est salutatus*. Ethelvvolfum autem Romam voti causa petentem à Leone IV. Sergii successore non quidem coronatum, sed *benignè acceptum* Baronius (51) narrat, eundemq; deinceps Ælfredi filii sui coronationem à Leone IV. obtinuisse refert (52). Quanquam Platina (53) Edelvvolfum vinculo sacro votorum, quibus se obstrinxerat, monachalium à Leone IV. solutum, & in Angliæ Regem constitutum scribat. Quo igitur auctore res à Sergio & Leone IV. gestas in Papissam utroq; posteriorem Wolfius rejecerit, equidem nescio. Sed ut maximè Ludovicus & Edelvvolfus diadema suum Johannæ Papissæ debuissent, eò tamen Radulphus respicere nec voluit, nec potuit. Nam ille quidem de Anti-Christo planè alia atq; Wolfius, ex communi Doctorum istius ætatis sententia, in animo habebat, ejusq; originem in citimam inclinantis mundi fecem, & recentiora multò Papissæ annis tempora, referebat. Unde verba sua ut non de præterito, quo Johanna fuerat, sed futuro tempore unicè locutus est, sic de hoc quoq; tantùm intellexit. Sed de Radulpho plus satis, opinor. A quo  
abeunti

---

(50) *Chronic. etat. sext. p. 230, 231.* ed. Basil. 1568. Conf. Sigbertum & magnum Chron. Belg. ap. Mares. *Jo. Pap. rest. pag. 89.* (51) Tom. X. Anno 847. n. 31. col. 66. (52) Anno 855. n. 26. col. 145. (53) *de vit. & gest. Pontif. pag. 119.* ed. Col. 1551.

abeunti Marianus Scôtus, qui calculo Blondelli (54) A. D. cloxxviii. natus, & A. clolxxxvi, à Benedicti autem III, quem proximum Johannæ successorem faciunt, inthronizatione anno ccxxx. denatus est, occurrit. Ante hunc Marianum nullum *penitus inventum esse auctorem* Baronius (55) asserit, qui de ejusmodi portento, Papissam innuit, *meminerit*. Nec Blondellus antiquiorem, quem inter præcipuos Johannæ Pontificatûs assertores poneret, habuit. Sic autem Marianus (56): *Leo Papa obiit Kal. Aug. 853. Huic successit Johanna mulier annis 2. mensibus 5. diebus 4.* Sed nec hic testis extra omnem planè controversiam positus est, quam exemplarium diversa lectio, & hinc orta corruptionis suspicio ciet. Quo maximè telo *avthenicæ* ejus Baronius petit, qui Heroldum Mariani editorem *malâ fide locum hunc cum aliis multis corrupisse* dicit: nam, pergit, *in scripto codice, ex quo prodiit prima editio, ita legitur: Joannes, qui, ut asseritur, fuit mulier.* Cui Baronianæ lectione gemina est illa, quam Francofurti à Latomo in MSCto Mariani codice sibi monstratam Nic. Serarius (57) indicat. Ego ut diversitatem exemplarium non nego, ita persuadere mihi nequeo, ut jure Heroldum à Baronio corruptionis postulatum esse credam. Nam unde idem illud, cujus in edendo fidem Heroldus secutus est, MSCtum se vidisse, istamq; ab eo aberrationem observasse Cardinalis probat? Quin potius simili ab illo injuriâ Heroldum affectum suspicor, qualem Claufero, quasi fraudulenter historiam Papissæ Laonico Chalcondylæ à se Latinè edito inseruisset, cum cæco suo ductore Flor. Ræmundo intulit. Cùm tamen hîc omni Clauferum culpâ vacare ex ipsis adversariis Jesuita Gretserus (58) egregiè probet, & iniquum istud Ræmundi, Baronii &c. judicium limâ egere, ac ex iis

eximen-

(54) *Anacris.* p. 3. (55) *Anno 853. n. 56. col. 125.* (56) *Chron. fol. 408.* ed. Basil. 1559. (57) *Moguntiac. Rev. l. 1. C. 42. n. 38. p. 210.* (58) *Tom. II. Bellarm. defens. p. 986. & l. 1. Ret. Var. C. 3. p. 26, 27.*



eximendum esse fateatur. Sic & immeritò Heroldi fidem impugnari puto. Neq; enim, quia Baronio Serarioq; visi codices Mariani verba paullo aliter, atq; in edito, repræsentant, falsi crimen Heroldus commisit, quando nondum, an secus in Heroldiano MSCto expressum fuerit, certò constat. Parum itaq; ista lectionis diversitas auctoritati testimonii de Johanna detraheret, nisi & alia Mariani exemplaria Pontificii nobis opponerent, in quibus nulla de Papissa litera legatur. *In antiquissimis*, inquit Bellarminus (59) *exemplaribus Mariani Scoti non haberi Joannam fœminam testatur ille, qui Metropolim Alberti Krantzi edidit, anno 1574. Colonia.* Idem Serarius (60) etiam, atque Leo Allatius (61) urgent, quorum posterior ad Miræum in Chron. Sigeberti provocat, ubi nova Chronici Mariani Scoti, in pergameno caractere vetustissimo exarati, & ex Bibliotheca Gemblacensi à Lud. Sombecho, istius loci Abbate, sibi missi editionem pollicetur. Probè scio, quàm non rutò semper Romæ, MSCtorum antiquorum *δυσφωνία* crepanti, fidendum sit, quàmq; illa hoc latibulum, cùm premi se sentit, circumspicere soleat: Sed verò eapropter his quoq; Mariani MSCtis de Papissa silentibus (quæ falsò ingeri nemo nostrum certis, ex oculorū testimonio petendis argumentis demonstrare potest) fidem adimere, & repudiare, sine insigni à particulari, ut scholæ loquuntur, ad particulare *ἀσυμμετρία* non licet. Præstat igitur in hoc codicum Mariani diffidio tantisper *ἐπέχειν*, quàm audacter quicquam, quod incomperitum tamen est, definire. Enimverò Marianum corruptionis,

---

(59) l. 3. de R. P. C. 24. p. m. 309. D. (60) l. c. n. 41. p. 211. (61) in *Confat. fabul. de Jo. Papissa*, quæ à Barth. Nihusio Colon. Agr. A. 1648. primùm separatim edita, deinde verò libro secundo *συμμετρίων* Allat. inserta est, §. 3.

nis, etiam in hac Johanna historia absolvi planè non posse, tot in eo luxata ac disjecta docent, quibus restituendis & reconcinnandis haruspicina Maresiana (62) insudandum esse duxit. Blondello (63) interim hæc quoque Mariani exemplaria, à quibus Papiſſa abest, suspecta esse non diffimulo. Nam, quæ ejus ratio est, si verè ex Mariani mente Leoni IV. Benedictus anno demum 857. successit, nec ullus Joannæ reservandæ locus fuit, non octennium sed decennium Leoni A. D. 847. in Sergii II. locum cooptato assignandum fuerit; frustra, Nicolai Pontificatum triennio seriùs quam res exigit & inchoari & finiri, clarum erit. Quare semel Marianum in Joannæ gratiam somniasse, hoc est, ut ipse interpretatur, ἀόριστα & apertè falsa scripsisse, quàm perpetuo delirio laborasse, credere mavult. Sed frustra hîc vir doctissimus Mariano male metuit. Cùm enim illa MSCta, quæ Johannam prætereunt, haut inspexerit, nihil quoq; ei de calculo annorum in iis servato constare potuit, quem planè diversum ab illo, qui in vulgatis extat, esse quis suspicari queat. Sanè qui in refingendis, quod modò dixi, Mariani annis occupatus est Maresius, hoc ipso Mariani chronologiam ab insulsis librariis male tractatam esse fateri debet. Quod si tamen ista Mariani MSCta ab editis in solo Johanna silentio dissidere, cætera verò eandem annorum seriem utrobique retineri, quis demonstrare possit, tunc verò restituendam Mariano Papiſſam censebo, quam nescio quis maleferiatus Monachus, relictis tam evidentibus corruptionis indiciis, inde refecerit. Quâ ratione tandem Marianum pro primo omnium Papiſſæ teste habebo. Marianò non multò recentior fuit Sigebertus Gemblacensis, quippe A. C. clocxiii, ut ex Roberti de Torinnejo sive de Monte Appendice ad Sigebertum

C

(64)sci-

(62) Jo. Pap. restit. p. 81, 86. (63) in tabula ad Anacris. p. 44. pertiçante.

(64) scimus, adeoq; xxvii. à Mariani excessu annis defunctus. Et hunc vetustissimis Johannæ testibus annumerari constat (65). Blondello (66) sanè *Marianus & Sigebertus primi Joannæ assertores* audiunt. Sed eadem quæ Mariani, hujus quoq; testimonii *synopsis* sollicitant. Nam & Sigebertum hîc corruptum esse, tam est liquidum, quàm quod liquidissimum. Unde denuò Criticen suâ exercere Maresius (67) quanquam nullius aut impressi aut scripti codicis auctoritate nixus, morbidog; nanc Sigeberto, planè ut modò Mariano, medicinam facere conatus est. Quâ quidem ratione dubium non est, quin longè plurimi veterum scriptis à malè fida manu infarti parachronismi, ex quibus aliàs luculenta subdititiæ prolis argumenta petere solemus, ad sanam reduci mentem queant. Quod artificium an ad cordatorum palatum futurum sit, vehementer ambigo. Certè istud in hac causâ parû probandum esse, immanis antiquiorum Sigeberti MSctorum, quantum ad Johannam, ab editis dissensus ostendit. *Antiquiora enim*, quæ verba Alani Copi larvâ tectus Nicolaus Harpsfeldius (68) jam ante seculum loquebatur, *Sigeberti exemplaria nullam hujusmodi* (de Johanna Papissa) *narrationem complectuntur*: quorum è numero est exemplar manuscriptum Canobii Gemblacensis, quem admodum me certiore dudum fecit vir ut doctissimus, ita diligentissimus Joannes Molanus Lovaniensis, & ipse quidem hujus rei testis oculatus. Cujus exemplaris fides tantò plus in hac causa quam alterius cujuscung; valere debet, quanto verisimilius est, illud, si non auctoris autographum, at ex eodem saltem fuisse descriptum, quando quidem Sigebertus ipse fuit monasterii Gemblacensis alumnus. Et quò magis sit credibile fabulam istam à recentiore aliquo in quibusdam exemplaribus fuisse insertam; negari certè non potest, quin illius historia, multa alia adsciticia & planè vana ex, nescio cuius, Galfridi Monume-

(64) à Luca Dacherio Guiberti operibus A. 1651. fol. Parisiis impressis adjectâ p. 748.  
 (65) V. Dn. D. Capell. *Disc. Hist. de Joh. Pap.* p. 37. (66) *Anacris.* p. 44. (67) *Jo. Pap. restit.* p. 97, 98. (68) *Dialog.* 1. C. 8. p. 37. ed. Antverp. 1573. 4. Conf. Bellarm. loco supra n. 59. citato,

*thensis libro sint adpersa.* Hæc personatus ille Copus, Onuphrium, ut apparet, Panvinium (69) secutus. Leoni Allatio (70) quoq; non levis est conjectura, Vincentium Bellovacensem Spec. hist. l. 25. C. 36. & Gulielmum Nangiaco in Chron. qui Sigebertum, in historia præsertim horum temporum, de verbo ad verbum bona fide descripserunt, Joannæ Papissæ neq; per somnium meminisse. Et in eandem sententiam toties laudatus perspicacissimus Blondellus inter cætera fatur: Cùm in Alberico, Vincentio, Guillel. Nangiaco, &c. perpetuis Sigeberti exscriptoribus Joannæ ejusdem desideretur mentio: ipsisq; eadem Sigeberti hypothesebus adversari videatur, minus eorum sententia repugnandum fuerit, qui Sigeberti manuscriptis, sive à Galfredo Monumethensi, sive ab aliis infartam volunt. Unde novam Chronici Sigeberti à quisquiliis Galfridianis repurgati editionem anno clo lccviii. Antvverpiæ ex ipso, ut creditur, Sigeberti autographo, quod in Gemblacensi asservatum est cœnobio, Aubertus Miræus adornavit, in qua Johannæ nostræ historiam frustra quæras. Non equidem sum nescius, quantum hujus editionis fidei vir Romanæ communionis, judice Dallæo (71), nostrâ memoriâ doctissimus, Rogerus Widringthon, quod Hullemani (72) indicio debeo, detractū eat. Sed cùm Miræus Gemblacense nobis exemplar exprimere constituerit, non potuit, certè non debuit Widringthon<sup>o</sup> editionis hujus novellæ ab aliis impressis aut manu exaratis diversitatem in malam Miræi fidem rejicere, nisi si ipse imposturæ Miræum ex inspecto à se Gemblacensi Codice convincere potuit. Enimverò insigne Miræanæ dexteritatis exemplum, verba in vulgatis editionib<sup>o</sup> Sigeberti omissa restituentis, Jacobus Ulserius Armachanus (73) annotavit. Sed hæc de Sigeberto dicta sufficiant. A quo ubi discesserimus, antiquior nemo Martino Polono, Guesnensi in Polonia à Nicolao III. Papa ante

C 2

hæc

(69) Annot. ad Platin. p. 148. a. (70) Consut. Fab. de Jo. Pap. S. 4. p. m. 34. (71) de usu Patrū l. 2. C. 6. p. 320. (72) Manual. Conf. August. Disp. 14. S. 38. p. 679. (73) de Christ.

hæc quatuor secula, anno nempe clocc LXXVIII, juxta Labbeum (74) constituto Episcopo, afferri vulgo pro Papissa solet. Sanè Martinum *primum* Papissæ meminisse, Panvinius, Bellarminus, Serrarius, & plures omnino ex hac caterva defendunt, nec ullum Martino, qui quadringentis annis Johannâ posterior fuit, priorem ejus præconem admittunt, & Platinam cæterosq; adeo omnes, quicquid de ea tradiderunt, ex hoc fonte accepisse contendunt. Quod ipsum ex nostris quoq; facili nimis credulitate Friedericū Tilemannum (75) historiarū ac antiquitatum in Acad. Witteb. quondam Professore, admisisse video. Sed istos omnes erroris convincere non adeo difficile fuerit. Nam ut maxime nullus eorum, de quibus hactenus disputavimus, Anastasius inquam, Radulphus, Marianus ac Sigebertus, quicquam de Johanna prodiderit, alii tamen Martino Polono superiores, Otho nempe Frisingensis, Galfridus Arthurus Monumethensis, & Godefridus Viterbiensis Papissam indictam non prætermiserunt, quos proinde Blondellus ipse (76) hanc in rem testes citavit. Quibus posthac quoq; Gervasius Tilberiensis (quem à Martino Polono inter eos, ex quibus in Chronico suo profecit, reponi, non vanè G. J. Vossius (77) suspicatus est) in *orbis descriptione* Othoni IV. Imperatori dicatâ adjungendus est, ubi historiam de Joh. Papissa haberi, ex MS. Cto apud magni parentis non minorem filium Isaacum Vossium sibi viso Paulus Colomesius Rupellensis (78) asserit. Quid, quod Martini Poloni nomen ex hoc testium numero ab aliis planè expungitur? tantum abest, ut primatum ei dandū censeant. *Fabulam quippe de Joanna femina in MS. Martini Poloni autographo codice, nusquam inveniri, sed ab aliquo maleferiato exscriptore*

---

*Ecles. success. & stat. C. 7. §. 26. p. 241. (74) Tom. II. de Script. Eccl. p. 62. (75) Discurs. Philolog. de Historic. delect. p. 147. (76) Anacris. p. 3. 4. Conf. Da. D. Capell. Diss. Hist. de Jo. P. p. 37. 38. (77) de hist. Lat. l. 2. C. 60. p. 486, 487. (78) in Gallia Orientali Hagæ Comit. A. 1665. edita p. 201.*

ptore in exscriptis Codicibus fuisse appositam Abrahamus Bzovius (79) scribit. Multo verò majori apparatu Martinum Polonum à mentione Johannaë ex antiquissimo ejus Bibliothecæ Vaticanæ ab Urbano VIII. conredito exemplari Allatius (80) absolvit. Accedit novissimus viri celeberrimi, Petri Lambecii, Consilarii & Historiographi Cæsarei consensus, qui eo, quo absconditos in Bibliotheca Augusta Vindobonensi Martini nostri MSCtos codices erudito orbi detegit, loco (81) nō in omnibus exemplarib' fabulā de Papissa legi observat, sed in recentioribus plerumq; in vetustioribus non item. Quamvis non heri demum aut nudius tertius hæc Martino variatio obtigerit, cū eum in Johannaë causa jã dudum Ranulphus & Antoninus, si Maresio (82) fides, testem allegaverint. Ita & hic tam famosus, imò primus Johannaë testis à multis habitus, aut in spongiam incumbit, aut tutò satis in tanto vetustissimorum codicum silentio advocari nequit. Omnium autem minimè Josephus Maria Suaresius, Vasionensis Episcopus, & Sorbierus Medicus, ex Calviniano Pontificius, (83) audiendi sunt, cū Ranulphū ab Higeden, scriptorem satis (ut suprà, cū de Radulpho Flaviacensi agebatur, dictum) recentem, primum fabulæ de Johanna fabrum & architectum sistunt. In quā insignem à *avro-  
pnoiv*, Maresio ex merito notatam, eruditos hosce viros immane de aula Romana bene merendi studiū præcipites egit. Quibus insulsius multò Franciscus Torreblanca Villalpandus (84), ut fœdam hanc maculā Eccl. Romanæ abstergeret, Papissam in cathedra Romana, *tū ob divinū Numen, quod semper afflare solet in hoc Pontificiū eligendorū negotio, tum ob totius Ecclesie culmen & caput, ne acephala fieret, tum ob sacramenta, tū ob reliqua Eccl. functionis munera, qua irrita*  

C 3

*fuisse*

(79) *Annal. Eccles. Tom. XIII. A. 1278. n. 32. p. 884.* (80) *Consut. fab. de J. P. S. 6. s.* (81) *Commentarior. de Bibl. Cæsar. Vindob. Tom. II. p. 862. ss. Conf. Hattlerword. Spicileg. de histor. Latin. p. 133.* (82) *Je. Pap. restit. p. 22.* (83) *apud Mares. l. 1. p. 21.* (84) *l. 2. Dæmonolog. C. 17. n. 31. ss.*

fuisse nemo dubitat, tum ob silentiū Pandulphi, quo nullus alius est vetustior, qui Pontificū seriem contexit, sedere potuisse negat. Quasi verò non alia, Papiſſa nihilo pulciora monstra, Pontifices inquā magiā, seditione, scortationibus, adulteriis, incestibus, cædibus, bellis, avaritiā & pluribus aliis sceleribus infames, Romanam occupare sedem divina providentia permisisset. Ergo hunc divini Numinis in eligendis Pontificibus afflatum Stapletonus (85) non cogitabat, cū scribebat, *vix ullum peccatū cogitari posse, solā heresi excepta* (quanquam cur & hanc exciperet nihil causæ habuit) *quo illa sedes (Romana) turpiter maculata non fuerit, maximè ab anno octingentesimo?* Adeone Eccl. Romanam ἀνεπαλαυ fuisse inauditū est, ut, ne hoc grande absurdū admittatur, Papiſſa neganda fuerit? Atqui illa toties interrupta Pontificū successio, illustri ante hos novem annos, cū ex Clementis IX morte Romanus Episcopatus plus menses sex & diu diu vacaret, exemplo confirmata, Eccl. Romanam aliquoties truncum capite privatū fuisse clamat. Fuerint insuper tum sacramenta, tum reliqua Ecclesiasticæ functionis à Papiſſa administrata munera, irrita. Ergo planè nō extiterit? Itane Johanna, licet nec Papa legitimus, nec persona, ut barbarè nonnulli loquuntur, papabilis erat, ne Papæ quidem titulū, virilem mentita sexū, gerere potuit? Hæc quidē planè heroica Torreblancæ dialectica est, quā juris atq; facti quæstiones, longissimo ab invicem intervallo distitas, haut secus ac imperitus coquus jura, confundit. Pandulphi Pisani, Cardinalis, silentium parum curamus. Ille quippe, quod diligentissimus Onuphrius Panvinius (86) annotat, à Gregorio demū VII. vitas Pontificum (quas jam antè Damasum Papa, juxta multorum sententiam, à Petro ad suam ætatem, hinc Anastasius Bibliothecarius à Damaso usq; ad Nicolaum

(85) de magnit. Eccl. Rom. l. 1. C. 8. & Relect. Controv. 1. q. 5. art. 3. apud Du. D. Menzer. Exerc. Hist. Theol. de Conc. Nicæn. Append. Tom. VIII. Giesſ. p. 38. (86) Annot. ad Platin. p. 7. b.

laum I, alius posthac Apostolicae sedis Bibliothecarius Guillelmo ab Hadriano II. usq; ad Alexandrum II. produxerat) ad Honorium II. persecutus, Johannæ meminisse non potuit. Quò magis ridenda Torreblancæ ruditatis est, cum nullum alium ante Pandulphum Pontificum seriem contexuisse dicit. Nam hanc Pontificum, ut sic loquar, texendorum telam non primus Pandulphus orsus est, sed aliquot ei fila tantum, quorundam ut dixi Pontificum *Gregorius IX.*, at-  
 texuit. Unde Felinus (87) eum *Additiones ad Chronica Damasi Papae*, quibus sine dubio ipsas illas Pontificum vitas, Damaso tribui solitas, intelligit, scripsisse narrat, in hoc simul ab Onuphrio dissentiens, quòd multo prius, atq; ille existimaverat, Papatum vitas continuare Pandulphus ceperit. Nam ejus est vita Leonis IX, qui Gregorio VII. anterior fuit, verba produxit. Quæ qua ratione cum Onuphrianis conciliari queant, illi, quibus Pandulphi volvendi revolvendiq; copia datur, arbitrentur. Nobis nunc gradus revocandus est, quem penè longius, quam par fuerat, ἀπειθεῖα Torreblancæ à recta, quæ calcare constitueramus, & hæctenus, pro nostri ratione instituti, calcavimus, viâ, antiquissimorum inquam, qui vulgo afferri solent, eruditæ Papiæ præconum inquisitione, averterat. Ad quod argumentum materiæ de ERUDITIONE FEMINARUM affinitas me invitavit & pertraxit, quam tres Lycei nostri alumni, famâ doctrinæ nobilissimæ virginis Batavæ, non procul abhinc aliquamdiu nuper in Labadiana societate hospitantis, hujus autem ipsius anni mense Majo in Frisia, ut novellæ narrabant, defunctæ, ANNÆ MARIÆ A SCHURMAN allecti, stylo suo exercendo non indignam arbitrati sunt. Prodibunt itaq; in medium, & de ludo literario feminis claudendo an aperiendo deliberationem sic instituent, ut primus JOHANNES CHRISTOPHORUS KIPPIUS, Stadensis, ab omni penitus eruditione comparanda mulieres rationibus undiq; conquisitis arceat; secundus  
 autem

(87) *Epit. de Sicil. & Apul. Regibus* apud Vossium de *Hist. Lat.* l. 2. C. 53. p. 437




autem FRIEDERICUS RUSIUS, Hamburgensis, planè contra;  
 pro feminis ad omne scientiarū genus admittendis, argumentis  
 bonam partem ex Schurmanniana Dissertatione (88) depromp-  
 ptis, labore. Et hi quidem Latinè dicent. Quos excipiens tertius  
 DANIEL NICOLAUS A ZESTERFLETH, Stadensis, Palæmo-  
 nem acturus, de duorum commilitonū ἀνακρίσει Oratione Græcā  
 ἐπιχειρήσει feret, quidq; in defectu alter, alter in excessu deliquerit,  
 quā item ratione sequiori sexui studiorum licentia danda, quā  
 neganda sit, indicabit. Quotquot igitur Stadenses nostras Musas  
 favore vestro atq; amore complectimini, VIRI omnium ordinū  
 honoratissimi, ad hanc modò dictorum ADOLESCENTUM de MU-  
 LIERIBUS disceptationem audiendam ut frequentes futuro die  
 Jovis, in Auditorio majori, hora prima pomeridiana convenia-  
 tis, quā possum officiosissimè rogo. Ita & insignem Actui no-  
 stro, quo perse ipse caret, circumfundetis splendorem, & cal-  
 car, quo urgendi maximè sunt, reliquis Athenæi nostri alu-  
 mnis subdetis. P. P. DOM. XVI. POST FEST. TRINIT. A. O. R.  
 cl. lbc LXXIIX.

(88) quæ extat opusculorum ejus Anno 1652. Ulterajecti, curante Friederico  
 Spanhemio Patre, editorum p. 29. ad 55. & ab ipsa inscribitur: *Problema pra-  
 cticum, Num feminæ Christianæ conveniat studium literarum?*


#### ADDENDUM.


P. 14. fm. post citatam Platinae edit. Colon. Anno 1551. adde: apud  
 Dieterich. Breviar. Pontif. p. 154. in. Nam qua nos usi sumus Platinae  
 editione Colon. A. 1626. p. 144. b. hæc tantum reperias: *Ferunt item  
 Adilulphum Angliæ Regem, ob religionem, insulam vestigalem Ecclesiæ Romanæ  
 fecisse &c. Cont. Micrælii Syntagma. Hist. polit. p. 715.*

Egbert Grimm, lingua Holland.  
 ed. tr. cui tit. *Pausalyke heyl-  
 ligheyt.*









tamen Cardinalis Alberoni in Papam jam eligi;  
in ratione titulum Pii bellatoris mereretur, qui  
in Hispania antehac exorta tanta malitia gefsit.  
Conspiraciones & machinationes suscepisse novi-  
deo facile credere solemus, quod immutatô pro-  
ris extiturus cultor sit. Potius ex litera A. E.  
cto Pontifici competere debebat, conjecturare  
gendum fore Cardinalem CONTY Roma-  
opum Tarsensem, Virum plus quam Sexagena-  
enim illius nomen est Michaelis Angeli de Co-  
notat:

Angelus de Comitibus Electus.

jam orbis sibi de eo polliceri debeat, perfecte  
edocent. Quivis cui status hodiernus Europæ  
ea ponderare, suasque super illa observationes  
Illud enim certum omnino est magnas nobis  
tiones, quæ quoad plurimam partem à curia  
anâ. Erit nempè Pontifex noster Bellator pius,  
& crucis defensor. Quid de eo clarius dici,  
tura ejus facta melius exprimi possent, ita ut qui-  
et facile, quam hoc modo. Sane nostræ vatici-  
passu ab omnibus aliis differunt, quæ de Pon-  
extant, cum in illis omnia æquivoca obscu-  
t, ut sensus illorum ad oraculorum gentilium  
ando saltem assequi, non vero uno obtutu co-  
n hanc classem, prophetiæ quoque Malachiæ  
tantum non obscurissimæ, futuraque secula  
saltem partem imperfectissime describen-

Es

